

Dissertatio inauguralis medica de ambiguitate uroscopiae ... / [Karl Christian Hederich].

Contributors

Hederich, Karl Christian.
Juch, Hermann Paul, 1676-1756.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Joh. Christophori Heringii, [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cympbtgs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,

DE

AMBIGUITATE VR OSCOPIAE,

QVAM

VELIFICANTE NVMINIS SUPREMI GRATIA,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRIDICÆ FACVLTATIS ASSES-
SORE ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITATIS
STNDICO ET CONSULE,

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ IN PER-ANTIQUA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS,

DN. D. HERMANNI PAVLI JVCHII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. FVBL. PRIMAR. ACADEM.

CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSI MI,

PRO GRADV DOCTORALI

SVM MISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET IMMV-
NITATIBVS RITE ET SOLENNITER IMPE-
TRANDIS,


PUBLICÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI SUBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS,

CAROLVS CHRISTIAN. HEDERICH,

Hohenkirchenis - Misnicus.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVENTIS.
DIE XXV. SEPTEMBRIS A. MDCC XXXII.

ERFORDIAE, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.





PROÆMIVM.



Vamprimum mecum consti-
tueram hac in præsenti di-
sputatione de AMBIGVI-
TATE VROSCOPIÆ agere,
statim prævidere facillime
potui, omnium illorum o-
dium certissime in me derivatum iri, qui tali so-
phisticæ arti operam dant, & exinde lucrum ex-
pectant. Neque tamen hoc a proposito meo
detergere me potuit, præprimis, quia neminem
Medicorum celeberrimorum huic meæ Tra-
ditioni obstare, perpensis antea beneque diju-
dicatis horrendis illis erroribus, qui inde oriun-
tur, certissime novi. Audent equidem Pseudo-
Medici omnibusque annituntur viribus, ut ple-
bi & infimæ hominum multitudini simulatis
verbis glaucoma objiciant, simulque demon-

strent, quod minime impossibile sit, ex urina omnes cognoscere morbos, eorumque indagare origines, progressus & finiendi modos. Ad faciliorem obtinendam fidem illud etiam argumenti loco adjiciunt, se omnia propterea certo ex urina cognoscere posse, quoniam omnes morbi ex sanguine oriuntur; licet hic Canon neutiquam sit universalis, ipseque argumentationi hujus medius terminus admodum dubius adhuc existat. Hinc, cum ex rebus incertis, scilicet ex lotio, nunquam certa quædam species morbi, vel alia accidentia morborum cognosci possint, hoc ipso, lector Benevole, non improbabis unquam conatum meum, quod uroscopiæ veritatem imaginariam dubiam reddere annitar, quoniam nimirum ipsi etiam veteres eandem haud magni fecerunt, teste inter illos FORESTO, qui ita scribit: *De ægritudinibus non facile proferas judicium, nec urinam habeas, nisi postquam ægrum videris in præsenti, & de singulis eum interrogaveris. Examinaveris.* Sic quoque celebris ille Arabum Medicus Rhaes nullam omnino mentionem urinæ facit, quando in 1. & 6. suorum Aphorismorum hisce

utitur verbis: *Decet magistrum ægrum interro-*
gare, ut causam ægritudinis interiorem cognoscat,
ut postmodum rationale judicium præstare possit,
ne erubescat ægrum interrogare, ut sciat, an ægri-
tudo intra vel extra venas subsistat. Interim
 absit a me, ut propterea prorsus damnandam &
 rejiciendam esse censem uroscopiam, cum ex-
 perientia abunde demonstret, quod prudens
 Medicus etiam ex inspectione urinæ varias con-
 clusiones de morborum constitutione & indo-
 le formare queat, dummodo loco consueto ac
 opportuno, justoque tempore & debito modo
 istud fiat. Propterea mihi placuit hac in Dis-
 sertatione demonstrare, 1) Ambiguitatem uro-
 scopiæ, 2) tractare de loco inspectionis idoneo
 & 3) de Incertitudine signorum ex urina desum-
 torum. Deus autem optimus Maximus secun-
 det salutare hocce institutum, imo ea notitia
 imbuat omnium animos, qui Medicam sectan-
 tur artem, ut intelligent, quantum proximo
 tales nugæ de temporali sua salute detrahant;
 ita spero fore, ut hunc ipsum laborem æqui bo-
 nique faciant atque a corruptelis Pseudo-Medi-
 corum vindicent.

CAP. I.

De Ambiguitate uroscopiæ in genere.

§. I.

Uroscopia a quibusdam solet definiri, quod sit iudicium de urina & de morbi indole ex urinæ inspectione; hæc Uroscopia autem per se est incerta ars, ob tam multa & varia signa, quæ vel in hoc, vel in illo morbo occurruunt, & quæ ex urina nunquam solitarie cognosci possunt, præcipue ob insignem morborum diversitatem & numerum: sic si v.g. Uroscopo offeratur urina sanguinolenta, vix ac ne vix quidem ex hac sola certi quid hariolari poterit, quoniam causa ejusdem est multiplex; hanc ob causam morbus quoque varius esse potest: Primo enim urina sanguinolenta proficiisci potest a fluxu mensium; deinde ab assumptis fortioribus diureticis, e. g. a cantharidibus &c. Tertio a suppressione hæmorrhoidum, ubi ex vasculis hæmorrhoidalibus ob communicationem cum tubulis venosis vesicæ; sanguis intra hanc regurgitat & cum urina commiscetur. Porro talis urina etiam dependerre potest a causis externis e. g. ab Ictu, verberatione, aut casu, facto in regionem lumbarem, aut inguinalem. Cum ergo urina sanguinolenta a causis tantopere inter se diversis dependeat, merito exinde concludere licet, quod ex solitaria ejus inspectione nihil plane utilitatis tam ad Theoriam, quam Praxin, expectari & obtineri queat. Ad tales ergo evitandos errores veteres Medici ex vero solidoque scripserunt fundamento, quod solius

lius urinæ inspectioni non sit fides habenda; quemadmodum similem quoque sententiam fovet vir summe venerandus Doctor LANGIVS, ita inquiens in *i. Epistola Med. 83. p. 459.* Veteres non ex lotio tantum, sed ex signis etiam ac indiciis pathognomonicis, universaque symptomatum morbi syndrome, causam & substantiam morbi, a quibus remediorum indicationes acciperent, summo studio & observatione scrutati sunt; ipsamque medicinam primario divisserunt in Therapeuticam, cuius communissimus Scopus est, contraria contrariorum medicamenta, τὰ ἐναντία τῶν επαρτίων ιάματα, &c. & in Diagnosticam, cuius primarius scopus est, sana a similibus, ægra a dissimilibus sanis discernere, quæ medicinæ præstantior pars, longo intervallo Therapeuticam præcedit, quæ sine diagnostica nullius frugi est, aut usus.

§. II.

Deinde demonstrari quoque potest Ambiguitas urinæ ex Diæta, siquidem ab assumptis certis quibusdam cibis & variis potulentis talis in urina sit mutatio, ut facile hunc vel illum hominem morti proximum esse reputari queat, cum tamen urina tantum sit cruda & turbida, & subjecta ista adhuc nullo proprio laborent morbo. Hujusmodi mutationem horrendam efficit inter alia cerevisia Lipsiensis, quæ vulgo Rastrum dicitur, ubi si paululum exceditur in ejus assumptione prima vice, urina quasi sanguinolenta apparet, quæ vero matutinis horis excernitur quasi furfuracea videtur. Alia urina composita & dissimulata proficiscitur quoque ex Terebinthinatis, item etiam ex Selinapio assumto: Quod si ergo ex cibo aliquo aut potu talis venit mutatio urinæ, tanto major utique fieri potest in tam multis

multis morbis & tunc ferme in pluribus & variis morbis urina unum eundemque habet colorem ac sedimentum, horumque intuitu nuda solius urinæ inspectione incerta ars erit atque manebit.

§. III.

Certissimum itaque est, nisi signa Diagnostica & plures aliæ circumstantiæ v. g. Tempus anni, Sexus, Temperamentum, victus ratio, Exercitia & Forma Morbi, secundum WILISII denominationem, accuratissime obseruentur, pure impossibile esse, ut moribus ex sola urinæ inspectione repte cognosci queat. Quanta occurrit mutatio in corpore humano a septenario ad septenarium? quam varii & multiplices morbi hic oriuntur? Imo tota mutatur natura, ut in NENTERI *physiologia* pag. 43. prolixius & copiosius demonstratur. Ex tempore anni sequitur, quod uroscopus nil certi ex urina divinare possit: Tempore enim hyemali habitus corporis constrictus, contra vero tempore aestivo laxus existit. Quodsi autem corporis habitus sit laxus, semper major succedit sudoris excretio, quam si sit constrictus. Quando vero uno tempore plus sudoris excernitur, ac alio, minime etiam totidem urinæ excerni potest. Hinc accidit etiam, partem subtiliorem seri in forma sudoris fecerni, & crassiorem partem una cum urina excerni, ita, ut urina, quæ aestate excernitur, plures habeat partes Salino-sulphureas ac terrestres, quæ a sudore sunt relictae, adeo, ut facile concludi queat, hunc hominem laborare calculo vel febre quadam. Ex altera vero parte scilicet hyeme, urina est aquosior, quia non tanta est transpiratio, & major pars seri sub for-

forma urinæ excernitur, quæ particulæ salino-sulphureæ terrestres magis diluuntur.

§. IV.

Pariter quoque in unoquoque morbo exacte respiciendus est sexus: Nullus enim uroscopus certo affirmare potest, utrum lotium sit de subjecto masculini vel fœminini sexus, nisi sub specie stratagematis sicuti circumforanei & his similes alii solent, & deinde ex propriis istorum hominum sermonibus perquam multa & innumerabilia fere mentiuntur. Posito autem, quod suis investigationibus tantum perceperint, ut nonnulla symptomata ex his quodammodo cognoscere & indagare queant; attamen ignorant causam morbificam & sedem morbi, quæ duo minime exurina semper possunt cognosci.

§. V.

Porro etiam alia est urina in Temperamento sicco, alia in Temperamento humido: Nam illud lotium sub Temperamento cholericō excretum, valde igneum & magis rutilum apparet, quam quod a Phlegmatico venit. Quid? quod Cholerici urina tam igneam & fervidam habet speciem, ut facile concludi queat, tale subjectum laborare morbo acuto, v. g. febri ardente; cum tamen integra adhuc gaudeat valedudine. Hinc indicationes illæ, quæ ex urina, absente ægroto, factæ sunt, paucissimum certi indicant, harumque ope nunquam in praxi medica felicem nobis promittere possumus successum, nisi omnes ac singulæ reliquæ circumstantiæ accuratissime observentur.

§. VI.

Præterea quoque secundum diversitatem assumtorum medicamentorum incredibilis oritur mutatio urinæ, tam quoad odorem, quam colorem. Sic antea iam indicatum est, quod ab assumtis Therebinthiatis violaceum eadem acquirat odorem. Pariter quoque Cassia præternaturalem urinæ colorem efficit, ut illi, qui hæc copiosius usi sunt, urinam penitus nigram, excernant. Huic fere consimilem effectum miratu dignum observavi a pirus fracidis comestis in studioso aliquo Lipsiensi, qui supra memoratam cerevisiam, Rastrum dictam, largius aliquando ingurgitavit, & pira fracula in notabili copia desuper comedit; unde altero die urinam prorsus nigram reddidit, absque ullo tamen sanitatis dispendio, cum tamen hancce propeticulosissima specie urinarum semper reputaverint. Veteres celeberrimi Medici, e. g. HIPPOCRATES, HEVRNIUS & alii, ut etiam CELSVS qui Lib. I. cap. 6. ita scribit: *Urina nigra, crassa & mali odoris pessima est, præcipueque mortifera. Atque in viris & mulieribus talis deterrima est.* Et paulo post inquit: *Nigra redditur urina propter extincionem coloris vividi, a frigore quidem, ut volunt, si lividus color præcedat; a calore, si viridis.* Licet igitur exinde sufficienter appareat, urinam nigram signum esse quandoque pessimum, neutiquam tamen hæc regula est universalis, quoniam urina etiam nigra in Hypochondriacis & Melancholicis, imo & in validissimis interdum occurrit ab assumta forte Cassia & aliis esculentis & potulentis, & hac ratione verum est, neminem omni tempore ex urina nigra certum quid dicere

cere posse; Etenim mox est signum naturæ succumbentis, mox signum naturæ vincentis, & hinc uroscopo non licet aliter colligere, quam quod patiens brevi tempore aut mortem obiturus, aut ad valetudinem prosperam sit redditurus. Ex superioribus diversis exemplis & signis unusquisque facile fallaciam & incertitudinem nudæ solius urinæ Inspectionis intelligit.

§. VII.

Quia igitur nullum certum signum ex sola urina desumere licet, hinc nequaquam etiam forma sive species morbi ex ea cognoscenda erit, partim propter diversitatem morborum, quoniam lotum in quamplurimis inter se diversis morbis eundem habet colorem, idemque fere sedimentum. Exempli loco sit urina rubicunda, lixivio similis, qualis plerumque in febribus acutis in initio emittitur. Ejusmodi vero urina lixiviosa non tantum in febribus istis prodire solet, sed ab illis etiam emittitur, ubi calor naturalis per morbos chronicos plerumque nimium debilitatus est, nec non ab hypochondriacis & scorbuticis subjectis. Quando autem urina lixiviosa in Febre ardente, Malo Hypochondriaco, Scorbuto, quin & in senibus cœteroquin sanis & ubi tantum calor naturalis ob tardiorem circumlum sanguinis magis inminuitur, se manifestat; sequitur, quod ex incertis indiciis nulla certa species morbi cognoscatur. Deinde etiam urina sola certum quendam morbum designare haud potest, propter varias mutationes ejusdem, quæ sœpissime in uno eodemque morbo occurrunt: Modo enim sanorum similis est urina, dum paucum vel nullum exhibit sedimentum

atque citrina & pellucida est, & tamen forte periculosisimus morbus simul adest; modo apparet turbida & crassa, ut videatur, ægrotus pessime se habere, ubi tamen saepe contrarium apparet; adeoque nuda solius urinæ inspectio nunquam ad species & indolem morborum cognoscendas sufficere potest.

§. VIII.

Et hæc insignis incertitudo me etiam commovit, ut pro confirmatione hactenus dictorum testimonia & exempla quædam a celeberrimis Medicis nota adhuc coronidis loco huic capiti adnecterem. Primum horum occurrit in GUILHELMI FABRICII 3. obs. Chirurg. ubi de nobili quodam, qui a sexto morbi die ad undecimum, quo ipso etiam mortuus fuit, urinam tum colore, tum consistentia, sanorum plane similem reddiderat, & tamen succubuerat. Porro huc referenda sunt verba ejusdem celeberrimi Autoris, ita de cive aliquo, qui febre ardente mortuus est, scribentis: *Ego quotidie cum clarissimo Dn. D. JOH. BREITENBACHIO, Medico celeberrimo, ipsum invisens, ejusque urinam inspiciens, observavi, eam ab initio usque ad finem morbi sanorum semper per similem fuisse, neque unquam colorem aut consistentiam mutasse.* Sic & SCHENCKIVS mentionem facit in 3. sua obs. Med. 452. Franci cujasdam, cui per morbū chronicū hepar totaliter fuit consumtum, ut tandem etiam diem obierit supremum, & tamen ægrotus sanguinem semper emisit lotium, de quo Autor sic inquit: *urina hominis pro ratione lethalis morbi, usque adeo vitiosa non erat; quæ historia, quam fallax sit conjectura ex solis urinis facta declarat.* Plura addere ob temporis & char-

tæ

tæ angustiam, cum præcipue cuilibet Medico prudenter & rationali per experientiam abunde cognita sint, merito supersedeo.

CAP. II.

De Loco Inspectionis urinæ.

§. I.

Locus inspectionis urinæ est duplex, *legitimus* & *fraudulentus*. *Legitimus* opportunissimus & accommodatissimus locus est coram lecto ægrotantium, ubi Medicus lotium collective considerare debet, nempe signa diagnostica & symptomata simul observet, tunc enim optime & rationaliter, certam speciem morbi ejusdemque causas ex illo cognoscere poterit; & talis urinæ inspectio propterea etiam haud est spernenda, sed semper hoc modo optimæ quæque indicationes conjunctim exinde desumi queunt, tum in diagnosi, tum etiam in prognosi. Exempli loco sit jam *urina* purulenta Medico ad inspiciendum oblata: Hæc equidem generatim demonstrat, ægrotum exulceratione quadam laborare, ubi autem seu quo in loco illa suam habeat sedem propriam, utrum in rene sinistro, aut dextro, aut in vesica, an in collo vesicæ, &c. per nudam solius urinæ inspectionem nec cognosci, nec divinari potest. Cum vero hoc ipso non possit unice absolvi felix curatio, si modo cognitum sit, quod hic vel ille morbus certo in ægroto adsit, sed insimul opus quoque sit, ut locum exulcerationis certum exploratumque habeamus, quo in cura quoque remediis,

externis, ubi opus est, illi succurrere queamus, cum defensivis nimirum discutientibus & resolventibus; ipsam vero hanc certitudinem loci exulcerationis ex urina sola nemo acquirere aut sibi persuadere potest, si illam domi & non coram lecto ægroti consideret; hinc sane sequitur, quod locus hicce præ illo utique magis accommodatus & conveniens existat: Quodsi enim insuper æger fateatur, se olim in dextra vel sinistra regione gravius læsum fuisse, atque dolor tanquam certum & ordinarium symptomata, simul ibidem adsit, insuper etiam in urina purulenta animadvertisit materia, tunc demum in prognosi sua haut dubius esse, quin potius & exulcerationis locum certissime denominare potest Medicus. Quodsi vero in ejusmodi casu ad similem ægrotum requireretur & vocaretur Medicus, tunc licet symptomata & signa diagnostica omnia indagasset, urinæ autem inspectionem prorsus neglexisset, utique gravem pariter errorem facile committere posset, & indicationes suas ita formare, quod symtoma urgens sit calculus, seu spasmus quidam, dolores tales inducens. Ex hoc igitur aliisque exemplis nunc elucescit, utilissimam & maxime necessariam artem esse Uroscopiam multumque lucis ad cognitionem morborum eandem suppeditare, si modo rite, debito tempore & loco applicetur.

§. II.

Locus fraudulentus inspectionis urinæ est, quando uroscopus Lotium privatos intra parietes considerat, & nihil secius imprudentibus fraudulentio modo plura de ægri statu & conditione enarrat, quæ modo falsa,

sa, modo etiam ex accidenti quandoque vera sunt, cum tamen plane sit impossibile, ea omnia ex urina cognoscere, quæ tales medicastrī communiter proferre audent, videlicet an ægrotus sit sexus fœminini an masculini, utrum illa persona sit grāvida, nec ne, an patiens ē lecto suo sit resurrecturus, an non, & quæ his similia reliqua sunt impossibilia. Et sic locus fraudulentus est duplex: Uroscopus enim aut nuncium aut ægrotum ipsum de re veritati non conveniente docet, vel ipse etiam decipitur id quod tamen unacum omnibus reliquis dolis evitari potest, quando nimirum inspectio urinæ coram lecto ægroti instituitur.

§. III.

Non ignoro autem, quod mihi merito hic objici queat, non semper possibile esse, ut ægrotus sit præfens, quia multi essent longius remoti à Medico, multique etiam non possent ob inopiam Medicū ad se vocare, consequenter absolutè opus est, ut Medicus urinam aut in domo sua, aut plane non inspiciat. Ad hoc igitur respondendum est, in ejusmodi casibus utique etiam in ædibus medici inspectionem urinæ suscipi posse, illam tamen tunc demum legitimam esse, si modo antea nuncius bene sit informatus, beneque omnes circumstantias ægroti calleat, ubi pariter ex urina certi quicquam prædici potest, si modo omittatur hodierna ratio fraudulenta hodiernis vulgaribus Uroscopis admodum familiari, quippe qui statim sine præmissis ullis quibusdam quæstionibus, impossibilia ex urina hariolantur & vaticinantur, quam fraudulentam artem, quæ in verbis simulatis tantum consistit,

illis

illis lubentissime concedimus atque relinquimus, simul tamen jure meritoque iterum concludimus, nudam solius urinæ inspectionem artem esse fraudulentam, eaque propter merito omittendam.

§. IV.

Si quis ergo certi quicquam ex urina velit judicare, omnia illuc spectantia requisita probe ac sedulo observare debet, quorum sex sunt præcipua. Primum requisitum ad uroscopiam legitimam debet esse urina matutina: Secundum, ut ejus sit debita quantitas, tantum nimirum, quantum ægrotus uno actu emisit, ne quid accesserit, neve decesserit: Tertio requiritur vitrum aliquod pellucidum; Quarto, ut ista in loco temperato per aliquod temporis spatium inconcussa maneat, quo Uroscopus etiam videat, an sedimentum ad fundum secedat, an vero turbida permaneat urina. Quintum requisitum est, ut urinæ inspectio illustri in loco, minimè obscuro instituatur, ut & recte cognoscatur, quomodo lotium se habeat, num sit urina cocta, an cruda, an sanguinolenta, putrida &c. Sextum in eo consistit, ut is qui sibi proposuit urinam inspicere, & ex inde aliquod formare conclusum, insimul, minutissima etiam accuratissime perscrutetur ex ægroto, quales cibos, qualesque potus aut medicamenta sumserit: facto enim hoc, omnibusque signis diagnosticis ab ipso bene perspectis, ac uroscopiæ requisitis debito modo diligenter observatis, tunc sane haud impossibile est, certas quasdam ex urina ferre sententias, tam de morbi, quam ægrotantis statu præsenti atque futuro.

§. V.

§. V.

Hac ergo ratione Uroscopia legitima in praxi medica est non penitus contemnenda, quia Medico aliqualem atque probabilem morbi dat cognitionem, siquidem, si ille ipse observat urinam esse crudam, sequitur, quod morbus paulo diutius duraturus & ægrum afflicturus sit, in primis quando reliqua Symptomata in morbo chronicō concurrentia præter hæc lotii signa simul concurrant, e. g. si ægrotus nullum adhuc desiderat cibū, vires adhuc languent, omniaque reliqua incommoda indesinenter adhuc durant, tunc certe conclusio hæc non erit iniqua, quam ex his aliisque capit signis, ægrotum satis gravi & diurno laborare morbo. Quemadmodum itaque non ex sola urina cruda concludi potest, pessime cum ægro agi, nisi omnes reliquas circumstantias accuratissime simul observaverit Medicus, ita etiam non ex urina cocta solum judicandum est, ægrotantem melius se habere & morbum remittere, & exinde liquido apparet, quod Uroscopiæ soli non credendum sit, nisi reliquæ omnes circumstantiæ sedulo simul combinentur & attendantur. Jam vero nullus Medicorum omnes ad morbi indolem spectantes circumstantias perfecte ex lotio cognoscere potest, spectet etiam illud tam a priori, quam a posteriori a summo ad imum, nullam tamen earum sufficienter exinde eruere poterit, nisi de illis ipsum ægrotum aut nuncium accuratissime interroga- verit & examinaverit. Quin imo sæpe etiam ægrotus abest, & nuncius quoque eundem non vidit, adeoque nec de minima quidem circumstantia aut sympto-

mate Medicum docere potest, quæ tamen maxime necessaria ad uroscopiam sunt requisita, sine quibus nil certi ex urina cognosci potest, unde quoque ista urinæ inspectio quæ in Medici ædibus instituitur, plerumque incerta & insufficiens erit.

S. VI.

Proinde etiam omnium maxime necessarium requisitum ad Uroscopiam hoc est ut temperamentum ac in simul quoque ætatem ægroti sciat Uromantes, priusquam suam dicat ex urina sententiam, quoniam urina in uno quoque temperamento in eodem etiam morbo aliter constituta esse solet, quapropter nemo morbum exacte indagare & cognoscere poterit, nisi temperamentum ægrotantis antea bene habeat exploratum. Consistit autem in genere temperamentum tam in partibus solidis, quam fluidis, quarum crasis & substantia cum admodum diversa sit, utique etiam Temperamenta inter se quam maxime differre debent, in primis secundum suas actiones, secretiones & excretiones, quæ distinctio propterea, ut jam dictum, in partibus solidis ac fluidis quærenda est.

S. VII.

Quoniam igitur maxima urinæ pars a fluidis dependet partibus, sequitur ex eo, lotium in temperamento quolibet aliter se habere, & hac ratione modo magis, modo minus & partibus salino terrestribus & Sulphureis constare, cum alia sit crasis humorum Cholerici, alia Phlegmatici, alia Melancholici, alia Sanguinei. Nam: I.) Temperamentum cholericum in eo consistit, quod partes solidæ sint constrictiores, duriores,

res, & arctiores, quam in sanguineo temperamento; similiter partes fluidæ magis in hoc temperamento, particulis sulphureo salinis abundant quam in Sanguineo; unde sequitur, quod urina subjectorum temperamenti cholericæ crassior & rubicundior sit, ac in temperamento sanguineo & phlegmatico. Porro Temperamentum sanguineum a cholericæ in hoc differt, quod partes solidæ sint laxiores ac porosiores, fluidæ vero partes meliorem mixtionem secum ducant, crassis earum quoque sit subtilior & fluidior, quæ omnia iterum differentiam ostendunt inter temperamentum sanguineum & cholericum. Hinc ex adductis hisce causis apparet, urinam sanguinei multo pellucidiorem ac subtiliorem secundum ejusdem morbi gradum esse debere, urina cholericæ. Econtrario in temperamento melancholico sunt partes solidæ, rigidæ, constictæ, densæ, siccæ. Partes fluidæ sunt etiam a reliquo. rum temperamentorum partibus maxime distinctæ, quod nempe ex pluribus particulis terrestribus salino sulphureis sint mixtæ & hanc ob causam melancholici crassissimos habeant humores, quare etiam nomen eorum ex græcis μέλας niger, & χολὴ bilis est compositum. In Temperamento Phlegmatico partes solidæ sunt spongiosissimæ, laxisimæ, mollissimæque. Partes fluidæ minoribus particulis terrestribus, maxime vero aquosis & mucilaginosis sunt donatæ, adeoque satis quidem fluxiles, sed in simul quoque crudiores.

§. VIII.

Urina sit pars excrementitia partium fluidarum inutilium, & ex partibus aquosis & salino terrestribus

paucisque sulphureis constans, adeoque ex similibus partibus constet, per quas etiam unumquodque temperamentum maxime secundum denominationem suam a reliquis discrepat, sequitur exinde, quod etiam urina in morbis internis secundum quodlibet temperamentum differre debeat; Hinc Uromantes quoque jam ante urinæ inspectionem de temperamento ægroti certus esse debet, si forte ex urinā certi quid pronunciare velit. Phlegmatici enim urina minime tam rutila est, quando laborat febre ardente quam Cholerici, quippe in quo, si saltem in primo gradu ardoris constitutus est, urina magis est rutila & habet colorem fere igneum, qualem Phlegmaticus in summo ardoris gradu decumbens vix exhibet; quam ob rem cognitio temperamentorum unum ex præcipuis in uroscopia simul est requisitum, quippe quod etiam acutissima pervestigatione ex urina non potest cognosci, nisi ægrotus ipse adsit, ut Uromantes differentiam & signa temperamentorum, quæ a NENTERO in sua Physiol. pag. 50. optime describuntur, secundum omnes circumstantias observet, & in primis quoque ad ægroti actiones attendat, quoniam sine his facile etiam in suo proposito errare potest.

§. IX.

Quanquam autem temperamentum, ex nonnullorum hypothesi per diætam & morbum mutari queat, talis tamen variatio rarissime & difficulter contingit. Delicatis enim esculentis ac potulentis semper homo redditur voluptuofior, hacque ratione cuiusvis temperamentum magis his confirmatur, ita ut Cholericus ardentior

dentior & furiosior, Sanguineus voluptuosior, Phlegmaticus segnior & ignavior, & Melancholicus fiat avarior. Hic enim quo plus habet, eo major redditur ipsius cupiditas habendi. Contrarium quando volumus de diæta laudabili sumere, certe ex Melancholico nullus fit Sanguineus; si illi desint bona corporalia. Quin imo Melancholia omni tempore in illo adaugebitur. Sic etiam Sanguineus vix unquam sibi detrahet quicquam de cibo & potu, alias enim consuetæ voluptati se minus indulgere posse certissime autumabit. Pariter quoque Phlegmaticus nunquam laboribus se dabit & corpori suo cibum aut potum detrahere studebit. Nec comprehendere queo, quomodo fieri queat, ut dives sua sponte optet, se esse pauperem. Multo minus persuaderi possum, cholericum de sua ambitione non nihil recedere, quippe qui præterea jam in omnibus moderate vivit. Quoniam itaque nullum temperamentum tali vitæ rationi se subjicit, quæ ipsi contraria est, hinc etiam mutatio temperamentorum per diætam haud facile fieri potest. Quod ad mutationem per morbum attinet, ea quidem non prorsus est rejicienda, quod ille nimis ad tempus aliquam efficiat mutationem, quæ vero diutius vix durat, quam usque dum vires recuperaverit ægrotus. Ætas vero hujusmodi mutationem perfecte & exacte inducere potest, ut multis exemplis per experientiam jam constat; plerumque tamen hoc observamus, quod ætas tandem omnia temperamenta in melancholicum mutare soleat.

CAP. III.

De Incertitudine signorum, quæ ex nuda solius urinæ inspectione trahuntur.

§. I.

INcertitudo signorum, quæ ex nuda solius urinæ inspectione desumuntur, facile cognosci potest, si modo similitudinem & dissimilitudinem urinæ, quæ in morbo quodam excernitur, conferamus e. g. urina tenuis in multis affectibus se sistit. 1) In febribus acutis deliria portendit. 2) In affectibus nephriticis imminentem affectum indicat. 3) Tenuis & clara est signum præternaturalis spasticæ renūm constrictioñis. 4) Sequitur etiam talis post potum Thee & Coffee, vel generatim a potu nimio. 5) Quandoque etiam est signum criseos imminentis sive futuræ, & quidem per hæmorrhagiam narium in plethoricis subjectis. Hinc quando urina tenuis & a causis naturalibus & præternaturalibus, etiam in morbis plane diversis provenit atque dependet, impossibile prorsus est, quod ex Uroscopia solum certi quicquam possit cognosci atque concludi.

§. II.

Eadem igitur ratione qua urina tenuis signum tantum commune est, ita etiam omnes reliquæ urinæ species sunt signa communia sive sit urina fœtida, sive fabulosa, pauca, crassa, superflua, turbida, purulenta, crocea, aut sanguinolenta, &c. Urina enim fœtida a di-

a diversis etiam causis oritur, & ita etiam in morbis variis occurrit, e. g. in morbis acutis, ubi resolutio quasi putredinosa humorum facta est, item etiam a diversis assumtis, v. c. cepis, allio, imo a Therebinthinatis odorem quoque adversum foetidumque tandem nanciscitur, si scil. per horas aliquot steterit. Jam vero rarissime lotium calidum affertur Medico, adeoque nemo ex urina foetida solum colligere potest, utrum foetor a putredine, tanquam causa aliqua praeternaturali, an a causa naturali dependeat, qualis tandem fieri potest a therebinthinatis & hujus generis aliis.

§. III.

Urina sabulosa in nonnullis subjectis occurrit, & licet illa alias certissimum indicium calculi esse debat, multas tamen adhuc fert exceptiones, quæ etiam incertitudinem horum signorum designant, dum saepius a sanissimis hominibus, qui ratione ætatis ad calculi generationem & gestationem nondum dispositi fuerunt, nec quicquam etiam sabulosi unquam cum eadem excreverunt, talis emittitur, & quidem solummodo ab assumtis certis cibis ac potulentis; Sic quoque nunquam certo ex urina pauca concludi potest, si præcipue simul tenuis & assumto potui non respondens fuerit, quod in quolibet morbo mali omnisi sit. Etenim fallacia causæ, videlicet spasmodus in organis secretoriis adesse potest, qui excretionem paucam urinæ causatur & tamen propterea neutiquam lethalis existit. Multi etiam hoc tempore saepissime plus quam alio tempore, transpirant, secundum diversitatem caloris & motus, unde necesse etiam est, ut pau-

paucior excernatur urina, quæ potulentis non respondeat, eaque propter ad evitandos hosce errores, utique causæ omnes probe examinandæ & ponderandæ sunt, antequam judicium de tali aliave urina feratur.

§. IV.

Talis error quoque circa urinæ crassæ inspectiōnem contingere potest. Nam urina crassa reperitur in decreimento morborum, aut quando reliquorum viscerum infarctus & obstruktiones resolvuntur, ubi dein sequitur crisis per urinam; sic quoque similis urina apparet in morbis ventriculi, e. g. in iis, qui Dispepsia & Apepsia laborant. Si enim mala est digestio, fit crassus chymus, ex hoc sequitur crassus chylus, ex crudo chylo fiunt crassi humores, ibi secernitur crassa urina. Porro etiam urina crassa præbet indicium scorbuti & copiæ salium, cujus quoque fundamenta ad primum principium poni queunt, quoniam, ex uno malo alterum sequitur. Præterea etiam plures aliæ observationes occurruunt in libris practicis, quæ ob diuersam suam significationem incertitudinem signorum prognosticorum urinæ hujus indicant. Pariter quoque per uroscopiam nudam ex *urina superflua* nil certi potest cognosci. Nam modo est signum vincentis, ut in Hydrope, quando malum se resolvit, modo signum succubentis Naturæ, ut in Diabete, ubi plane tota massa sanguinea in urinam mutatur, & perpetuus stimulus urinam emittendi cum siti præternaturali est conjunctus; modo etiam neutrum est ex adductis exemplis in culpa urinæ superfluæ, sed potest etiam a causa naturali dependere scil. a potu nimio. *Urina turbi-*

turbida similiter non porrigit certum aliquod signum, quia in diversis etiam morbis adest, ut in affectibus spasmodicis, torminibus, et si simul sedimentum fœculentum mucidum deponat: tunc diarrhoeas torminales in junioribus indicare dicitur. Porro & malum & bonum esse debet indicium; malum si turbida manet, & contra bonum si clara redditur. Nulla datur urinæ species, quæ solummodo in uno morbo reperiretur. Cum ergo una eademque urina modo in hoc, modo in alio morbo excernatur, sane vix ulla indicatio certa ex sola urina fieri potest, quia signa adeo varia sunt. Aliquando enim exinde desumitur malum indicium, cum tamen ægrotus de die in diem melius sese habeat; aliquando vero tolerabilis indicatur ægroti status, cum tamen morbus ad summum pervenerit gradum, qualium observationum plures prostant apud FORESTVM aliasque.

§. V.

De urina purulenta jam in *capite i. §. i.* mentionem fecimus & ibidem quoque incertitudinem signorum ejusdem comprobavimus, hinc omissa hac, ad urinæ croceæ considerationem nos convertimus, quippe quæ etiam ita comparata est, ut Uroscopus in hanc solam, omissis omnibus reliquis requisitis, fiduciam certam non possit collocare, quod eadem ipsum, & que ac omnes reliquæ species urinæ, fallere queat. Etsi quoque illa signum est diagnosticum, atque certis modis statum præternaturalem indicat, non tamen de statu præsenti ex sola ejusdem inspectione sententiam dicere possumus, illum nempe, qui urinam talem croceam excernit, laborare certissime Ictero, siquidem

tunc quoque adesse potest febris ardens, ita, ut in febri ardente, subiecta cholerica occupante, bilis regurgitet in sanguinem & lotium æque tingat ac forte in Ictero. Cum una itaque eademque urina in duobus tam diversis, imo etiam pluribus morbis quandoque excernatur, perpetuo uroscopus dubius esse debet, utrum etiam rectam causam indagaverit & conjecturaverit adeoque eadem remanet incertitudo, quæ & circa urinam sanguinolentam conspicitur.

§. VI.

Huic *Urinæ sanguinolentæ* plerumque multæ attribuuntur significatiōnes: 1) præbet signum mictus cruenti, qui à fortioribus diureticis, ut a cantharidibus & aliis causis vehementibus excitari potest. 2) Sequitur quoque urina sanguinolenta, quando ordinariæ quædam excretiones hæmorrhagicæ succedunt, ut in fluxu mensium & lochiorum, ubi nunquam ex sola urinæ inspectione cognosci potest, utrum menses, an lochia in qualitate aut in quantitate excedant. Quod superst, oritur etiam adhuc urina sanguinolenta, tam in Maribus quam in Fœminis ex causa aliqua remota, ut in obstruktione mensium & hæmorrhoidum: Etenim quando vasa uterina & hæmorrhoidalia adeo constricta sunt, ut nulla succedere queat excretio, & sanguis sinuul in vena portæ & ramificationibus splenicis stagnat, tunc ob connexionem vasorum retrocedit in vasa vesicæ, quæ obteneriorem suam texturam se aperiunt, & hac ratione lotium cum sanguine imprægnatur, ubi tunc uroscopus nullum prorsus certum signum habet, nisi antea quasdam sit perscrutatus circumstantias, indeque iterum Uroscopia nuda, tanquam ars maximie fraudulenta non

Uro-

Uroscopo tantum, sed etiam ægroto magnopere præjudicare potest, de qua Dn. D. LANGIVS in Epist. Med. p. 46. sic scribit: *Quamvis hæ sint primariæ partes diagnosticæ, sine qua altera pars Therapeutica subsistere non potest, prima elementa, tanquam gravissimis convicti testibus, iam non cedunt, nec ista observant: sed solius urinæ judicio freti domi, velut Alexandrinorum Medici desides, in folio velut sacerdos Apollinis ex Tripode, aut anus vatidica ex crystallo non viso ægro, sed tantum inspecto lotii vitro bone Deus! quam ambigue, quam perplexe de ægrotantis morbo, salute & morte pronunciare, & perficta fronte (ob vi- le lucrum, quo scortum non mereret) nugari non erubescunt.* Quanta hic obsecro, te, candide Lector, opus est amphibologia, ne in nugis deprehendantur? *Quod si ab anu afferente lotium deprehensi fuerint, hic jam age tu Quintiliane, colorem &c.*

§. VII.

Porro optime etiam DAMASCENVS in Aphorism. ait: *De agritudinibus non facile proferas judicium, nec urinam habeas, nisi postquam ægrum videris in praesenti, & de singulis eum interrogaveris & examinaveris.* Cui RHASES Medicus Arabs per belle additipulat hunc in modum scribens: *Ad nostrates ex schola Alexandrinorum Medici sedentarii, ne a vulgo inscitiae arguantur, qui Medicos ex lotio omnia nosse, credit, de morborum causis & symptomatibus ægrum percontari erubescunt, ac ut se temerario inertis vulgi judicio accommodent de morbis ex urinæ indicio nugari non verentur.* O! utinam, illis veritas esset populari aura potior, utinam! quam fraudulentum, nugax & perniciosum sit de morbis omnibus urinæ judicium ab neotericis medicis & impostoribus cum execrando mortalium exitio introductum vellem ingenue docerent & faterentur.

§. VIII.

Licet autem nuda solius urinæ inspectio plenarie sit rejicienda, quia ars est fraudulenta, nihilominus tamen sequitur,

quitur, inspectionem urinæ legitimam interdum locum habere posse. Est vero inspectio urinæ justa ea, de qua Practicus in quibusdam morbis interdum sibi polliceri potest commodum, si scilicet in ægroti præsentia instituitur, ubi Medico status morbi præsens ex symptomatibus aliisque circumstantiis facile patet ac qualis sit morbus appareat, & tunc demum aliquando in quibusdam subjectis felicius ex urina argumentari possumus, quam si id ipsum negligatur.

§. IX.

Omnibus ergo symptomatibus signisque ac reliquis circumstantiis de ægrotato a medico cognitis & comprehensis, haud etiam difficulter genus morbi invenire, & deinde porro suum de urina judicium medicus proferre potest. Et hac quoque methodo omnes rationales & judiciosi medici utuntur, hacque ratione optimo jure uroscopia legitima potest dici, ubi in simul tali modo proximo nostro nullum inferri potest detrimentum, quia certum antea possum est fundamentum, quo tota nititur cura; unde & uroscopia talis fraudulentæ isti minime est comparanda, sed longe præferenda. Hunc in finem etiam ad majorem illustrationem majoremve demonstrationem multi celeberrimi practici de urina scripsierunt observationes, quibus quoque si recte & legitimo modo utatur medicus haud unquam errare aut se aliosque decipere potest.

§. X.

De reliquo nemo ut spero in malam accipiet partem, quando in coronide hujus tractationis meæ, verba BRVNONIS SEIDELII addo, ita in Libro suo de Morbis incurab. p. 83. scribentis: *Hanc vitiosam consuetudinem vehementer optarim ab ipsis Medicis emendari, neque enim ab aliis emendatio expectanda est, neque etiam illa difficilis futura esset, si omnes in una civitate consentirent, imperitos rectius instituerent, nummulisque aliquot parvo tempore carere vellent.* Postea enim recte edocētis hominibus de hac re, sine dubio & arti justus honor haberetur & honesta quoque præmia non defutura essent, benedicente Deo curis acque laboribus medicorum in re plana, aperta, justa, legitima, recta & cum iuritate consentiente.

T A N T V M .